

Sup̄erat (*sobra*). (Cic. Fin. 5. 45). Quod ipsis superat.
Suppeditat (*abunda*). (Cic. Brut. 70). Cui si vita suppeditavisset.
Suppetit (*abunda*). (Cic. Fam. 45. 43). Mihi ad remunerandum nihil suppetit.
Vacat (*hay tiempo*). (Ov. Trist. 2. 216). Non vacat Jovi.

N. B. *Conducit*, et *confert* pro dativo rei inanimatae admittunt accusativum cum *ad*. (Cic. Off. 4. 3). *Tum consultant ad vitae commoditatem jucunditatemque conducat id necne, de quo deliberant.*

§ III. ACCUSATIVUS POST IMPERSONALE [294]

359. *Decet, dedecet, delectat, fugit, juvat, latet, praeterit* accusativum exigunt. (Cic. de Cl. Or. 85). *Decet hoc illum.* (Esto le está bien). (id. Q. Fr. 2. 12). *Fugerat me ad te scribere.* (Me había olvidado de escribirte). (id. ib. 12). *Teque hilari animo esse valde me juvat.* (Y mucho me gusta que estés alegre). (Ov. Fast. 5. 361). *Me causa latebat.* (Se me escondía ó ignoraba la causa). (Cic. Fam. 13. 65). *Non me praeterit.* (No ignoro).

N. B. *Latet* cum accusativo fere poëticum est.

360. *Attinet, pertinet, spectat* (pertenece) accusativum postulant cum praepositione *ad*. (Cic. Divin. 2. 47). *Ad rem pertinet.* (Hace al caso).

N. B. Multa ex iis verbis quae hoc capite continentur, admittunt hos nominativos: *hoc, istud, illud, id, idem, quod, quid, nihil.* (Cic. Man. 7). *Illud primum parvi refert.* (id. N. D. 4. 42). *Cui neutrum liquerit.* (id. Off. 4. 3). *Conducat id necne.* (id. Rosc. Am. 43). *Id quod ad me nihil attinet.*

§ IV. IMPERSONALIA CUM ACCUSATIVO SIMUL ET GENITIVO [302]

361. *Miseret, miserescit* (compadecerse), *piget, poenitet* (arrepentirse), *pudet* (avergonzarse), *taedet* (hastiarerse) cum genitivo praeter accusativum construuntur. (Plaut. Trin. 2. 4. 30). *Miseret te aliorum, tui te nec miseret nec pudet.* (Cic. Att. 5. 16). *Taedet omnino eos vitae.*

N. B. Raro genitivus transit in nominativum. (Ter. Adolph. 4. 7. 758). *Non te haec pudet? Et me quidem huius conditionis nunc non poenitet* [113]. (Cf. n. 490).

ARTICULUS II. IMPERSONALIA VOCIS PASSIVAE [323-325]

362. *Efficiuntur* ab activis aut neutris, quum verba passivae vocis absolute efferuntur in tertia persona, ut *vivitur, ven-*

tum est, reclamatum est, amatur, etc. (Cic. Phil. 2. 41). *Ab hora tertia bibebatur, ludebatur.*

N. B. Ejusmodi verba tum ablativum more passivorum, tum alios etiam casus admittunt. (Cic. Dom. 4). *Ab universo senatu reclamatum est.* (id. Fam. 4. 2). *Ejus orationi vehementer ab omnibus reclamatum est.*

CAPUT XII

DE TEMPORUM SIGNIFICATIONE

ADMONITIO

Quae sequuntur scholia per Auctoris commentarios sparsim diffusa, hoc loco ordine digesta atque contracta cum foenore reddimus, praecipue ut per ea magistri ipsi proficiant, ac modorum naturam temporumque percipiant; deinde ut pro captu atque opportunitate nonnulla instillent discipulis, sive dum inflexiones verborum mandant memoriae, sive dum iis in tertia et secunda classibus scriptor latinus explicatur. (Emman. Alv. Inst. Gram. ab Hor. Tursellini S. J. in compendium redacta, lib. I. cap. 9). Confer etiam quae diximus in praefatione.

363. N. B. Propositiones simplices conjunguntur vel per *coordinationem* seu *parataxim*, vel per *subordinationem* seu *hypotaxim*.

Coordinatio modo fit sine particulis (*asyndeton*), modo particulis interpositis, aut etiam iteratis (*polysyndeton*). (Cf. n. 451 et seqq.).

In *subordinatione* vocatur propositio *principalis* vel *primaria*, quae ab alia non pendet; *subordinata* vel *secundaria*, quae pendet ab alia: haec autem erit *primi ordinis* vel *gradus*, si pendeat a primaria oratione; *secundi ordinis*, si pendeat a subordinata primi ordinis, etc.

Quam significationem obtineant tempora in oratione primaria primum vestigabimus, secundarias vero propositiones in sequenti capite pertractandas relinquemus.

ARTICULUS I. INDICATIVUS

364. **Praesens.** In narrationibus, ut res vividius exprimatur, pro praeterito solet usurpari praesens, quod vocant *historicum*. (Cic. Mil. 10). *Obviam fit ei Clodius, expeditus, in equo.* (id. Verr. 2. 4. 8). *Tum iste continuo mittit homines certos Melitam, scribit ad quosdam Melitenses.*

N. B. Locus est etiam praesenti, quum verba alicujus scriptoris adhibentur: v. gr. *Legiones scribit Cato saepe atacres profectas.* Apud Platonem *Socrates laudibus in coelum effert Protagoram.* Loquutiones hispanas *leemos, se lee, como se lee*, libentius quam *legimus, legitur, ut legitur*, interpretantur auctores *scriptum videmus, accepimus, tradunt; memoriae proditum est*; quod si de aliquo facto sit sermo, *video, reperio* (encuentro escrito): has item reperies *constat, constat inter omnes* (todos convienen), *ut est in proverbio* (como dice el proverbio).

365. **Perfectum α** Modo significat factum omnino praeteritum, vocaturque *historicum*: (Caes. B. G. 2. 10). *Acrier in eo loco pugnatum est. Hostes impeditos nostri in flumine agressi, magnum eorum numerum occiderunt, etc.*

β) Modo indicat rem praeteritam illam quidem, quae tamen ipsa, vel certe ipsius effectus permanent quum loquimur; hoc vocant *logicum*. (Virg. Aen. 2. 325). FUIMUS Troes, FUIT Ilium, (Dejamos ya de ser Troyanos, pasó Troya). (Cic. Leg. 2. 25). *Nam et Athenis jam ille mos á Cecrope PERMANSIT terra humandi*. (Pues en Atenas se perpetuó desde el tiempo de Cécrope la costumbre de enterrar los cadáveres).

N. B. Hinc quaedam verba habent in perfecto significationem praesentis: sic MEMINI = *me acuerdo* (porque aprendí de memoria), NOVI = *sé* (porque he examinado), DEGREVI = *estoy resuelto* (porque he determinado). Vehementius vero loqueris, si dicas: EXPLORATUM HABEO, PERSPECTUM HABEO, (entiendo perfectamente), etc.

366. **Imperfectum.** Jungitur in narrationibus praesenti et perfecto historicis, sed ita ut haec tempora expriment factum primum, imperfectum vero adjuncta. (Cic. Verr. 5. 62). *Verres inflammatus scelere et furore, in forum venit, ARDEBANT oculi, toto ex ore crudelitas EMINEBAT*.

Quandoque pro imperfecto usurpatur in narrationibus infinitus *historicus*. (Cic. Verr. De furt. 29). *Rex primo nihil METUERE, nihil SUSPICARI; dies unus, alter; non REFERRI (candelabrum)*. (El rey al principio nada temía, nada sospechaba; pasaba un día, dos; no devolvían el candelabro). [421] (1).

N. B. In epistolis nonnumquam tempora has significationes non obtinent, eo quod scriptor mente transfertur ad tempus in quo legentur litterae. Ideo pro praesenti usurpatur imperfectum vel perfectum, pro perfecto plusquamperfectum. (Cic. Att. 9. 40). *Nihil HABEBAM quod SCRIBEREM, neque enim novi quidquam AUDIERAM, et ad tuas omnes RESCRIPSERAM pridie*. (Nada tengo que escribirte, pues no he oído novedad alguna, y ayer contesté á todas tus cartas). (id. Fam. 5. 56). *His ego litteris si quid PROFECISSEM, EXISTIMABAM optandum quiddam me esse assequutum*. (Si algo te he ayudado con esta carta, creo haber obtenido....). Et in fine passim: DABAM vel DATAE pridie nonas.

367. Circuitio illa ex participio in *rus* et verbo *sum* extra infinitum, potius quam debitum aut tempus futurum, significat nos constitutum habere actionem ponere, vel eam jam jam esse incepturos. (Cic. Inv. 4. 16). *Attentos faciemus auditores, si demonstrabimus ea, quae DICTURI SUMUS* (lo que vamos á decir). (Cic. Verr. 2. 29). *Facite quod vobis libet; DATURUS non sum amplius*, (tengo resuelto no....). *PROFECTURUS ERAM ad te, quum ad me frater tuus venit*. (Estaba para partir,...).

Voces *dus* et *dum*, etiam quum sextum casum post se habent, necessitatem et officium potius quam tempus futurum significare videntur. Sic *amandus sum* (debo ser amado). (Cic. Fam. 12. 25). *Quo tua major dignitas, eo quae tibi acciderunt minus FERENDA. Neque enim quae tu moderate fers, a te non ULCISCENDA SUNT, etiamsi non sunt DOLENDAS*. (Cuanto mayor

(1) Posset hoc ad figuratam constructionem revocari, audiendum enim per synecdochen verbum coepit, tradit, Quintilianus l. 9. c. 3. [434].

es tu dignidad, tanto debe sufrirse menos lo que te ha sucedido, etc....) [71, 120].

368. Participium praeteriti et *fui, fueram*, etc. significat fere apud probatissimos auctores rem per aliquod tempus durasse in illo statu quem verbum indicat. (Liv. 4. 19). *Bis deinde post Numae regnum Janus CLAUSUS FUIT* (estuvo cerrado).

N. B. Idem participium et *sum*, aliquando significat tantum actionem praeteritam et perfectam: v. gr. PUGNATUM EST (se peleó); saepe vero indicat statum in quo res invenitur, estque perfectum logicum. (Cic. de Or. 1. 42). *Omnia fere quae SUNT CONCLUSA nunc artibus* (que ahora están ó se encuentran reducidas á reglas), *DISPERSA ET DISSIPATA quondam FUERE* (estuvieron un tiempo diseminadas). Tunc vero potius duo quam unum censenda sunt; *sum* enim verbum quidem est, participium vero nominis naturam induit [69].

ARTICULUS II. IMPERATIVUS [33-38]

369. Prima forma, quae plerumque usurpatur, praesens tempus et certam personam significat. (Cic. Fam. 16. 4). *Omnia DEPONE, corpori SERVI*. (Déjalo todo....).

Secunda refertur vel ad tempus futurum, vel ad omne tempus; propterea usurpatur in legibus, sententiis, etc. (Cic. Fam. 16. 4). *Quum valetudini tuae diligentissime consulueris, tum, mi Tiro, CONSULITO navigationi*. (Cuando hayas mirado por tu salud, piensa entonces en embarcarte). (Id. Leg. 5. 5). *Regio imperio duo SUNTO, iique consules APPELLANTOR, militiae summum ius HABENTO, nemini PARENTO*. (Haya dos que tengan el sumo poder, estos se llamarán cónsules...). Saepe tamen reciprocantur praesens et futurum.

370. Praeter has voces quas imperativo tribuimus, sunt et aliae quibus non raro probati auctores utuntur:

1.º In praecipiendo quidem:

α) futuro indicativo. (Cic. Fam. 7. 20). *VALEBIS, meaque negotia VIDEBIS*.

β) praesente subjunctivo, maxime si adhibetur 2.ª persona pro infinita. (Cic. Tusc. 5. 41). *Injurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo RELINQUAS*.

γ) his circumloquutionibus: *Cura ut valeas, da operam ut..., fac habeas animum, velim cures*, et similibus. (Cic. Fam. 12. 12). *FAC valeas*.

2.º In prohibendo autem:

α) futuro indicativo cum particula negandi. (Cic. Fam. 5. 12). *Tu interea NON CESSABIS*.

β) praesente subjunctivi praeposito *ne, nullus, nihil, nusquam*, etc..., vix vero *non*. (Cic. Sen. 10). *Isto bono utare, dum adsit; quum absit, NE REQUIRAS*.

γ) perfecto conjunctivi cum iisdem particulis. (Cic. Att. 1. 5). *Tu illi NIHIL DIXERIS.* (Guárdate de decirle nada). (Id. Q. Fr. 1. 1). *Huic NIHIL CREDIDERIS.*

δ) circumloquutionibus *fac, cura, addito ne; cave cum vel sine ne; nolim, omisso ne; mitte, parce, fuge, noli* cum infinito praesenti. (Cic. Fam. 16. 11). *FAC NE quid aliud CURES.* (Id. ib. 16. 12). *CAVE FESTINES.* (Id. Flac. 42). *NOLITE EXISTIMARE.*

N. B. 1.º Ad minuendam vim imperativi, adjiciuntur hae loquutiones: *amabo, amabo te, obsecro, quaeso, oro te, sis* (si vis), *sodes* (si audes). Contra ad vehementius instandum, additur *age, agite.* (Cic. Att. 7. 3). *JUBE SODES nummos curare.* (id. Ros. c. 16). *AGE NUNC refer animum sis ad veritatem.*

N. B. 2.º Tertia persona imperativi fere numquam reperitur apud eos qui soluta oratione scripserunt, exceptis legislatoribus. Quare diligenter admonendi sunt pueri, ne tertia persona modi *legitimi* utantur (*legitimum* voco quod legibus ferendis sit aptus), sed aut praesentis subjunctivi, aut futuri indicativi.

N. B. 3.º In modo legitimo raro utimur *ne* cum altera forma. (Cic. Leg. 2. 9). *Nocturna sacrificia NE SUNTO.* Poëtae utuntur etiam prima forma. (Virg. Aen. 6. 95). *Tu NE CEDE malis* [402].

N. B. 4.º Aliquae loquutiones secundam tantum formam sibi vindicant. *Scito, scitote; sic habeto, habetote; tecum habeto* (ten en secreto); *memento, mementote; esto* (sea así, concedido).

ARTICULUS III. SUBJUNCTIVUS

§ I. SUBJUNCTIVUS OPTATIVUS [39-43]

371. Modus *optativus*, ut nomen ipsum indicat, ab optando nomen accipit: unde optandi adverbia ei praeponimus: *o, ita, sic, si, ut, quam, utinam*, et si qua ejusdem generis sunt; in negatione vero *ne, nullus*.

372. 1.º *Praesens et perfectum* (tempora primaria) (1) optatorum possibilitatem demonstrant, ac *praesens* quidem in re praesenti, *perfectum* in praeterita, utrumque tamen ad futuram etiam refertur. (Virg. Aen. 8. 578). *Nunc, o nunc LICEAT crudelem abrumperé vitam!* (¡Oh! séame lícito acabar ahora mismo tan cruel vida). (Virg. Aen. 6. 187). *Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus-OSTENDAT nemore in tanto!* (Si ahora en medio de tan grande selva se presentara á nuestra vista en algún árbol aquel ramo de oro). (Virg. Aen. 6. 62). *Hac Trojana tenus FUERIT fortuna sequuta.* (Acabe aquí de seguirnos la fortuna de Troya). (Plin. Ep. 1. 10). *Atque UTINAM sic ipse quam spem tunc ille de me concepit IMPLEVERIM, ut ille multum*

(1) Ut patet, *praesens, perfectum et futurum imperfectum* alterius temporis adminiculo non indigent; *imperfectum* vero, *plusquamperfectum et futurum perfectum* aliud desiderant ut sensum perficiant: illa igitur vocantur *absoluta* vel *PRIMARIA*, haec *relativa* vel *SECUNDARIA*. [Conf. Alv. n. 44].

virtutibus suis addidit. (Tan cierto fuese que yo he cumplido las esperanzas que entonces de mí concibió, como que él ha acrecentado mucho sus virtudes). (Cic. Att. 3. 3). *UTINAM illum diem VIDEAM!* (¡Ojalá vea yo aquel día!) (Cic. Mil. 54). *VALEANT cives mei, SINT florentes, SINT incolumes, SINT beati, STET haec urbs praeclara, mihique patria carissima.* (Ter. Eun. 2. 4. 302). *UT illum dii deaque senium PERDANT!* (¡Ojalá maten los dioses y diosas á aquel vejetel!) (Cic. Fam. 14. 3). *Dii FAXINT ut tali genero mihi frui liceat.* (Plega á los dioses que pueda yo gozar de tal yerno). (Cic. Fam. 7. 23). *NE VIVAM, si tibi concedo.* (Muera yo, si te concedo). (Ter. Adolph. 4. 6. 704). *Dii me, pater, omnes ODERINT.*

2.º *Imperfectum* vero et *plusquamperfectum* (tempora secundaria) rem impossibilem prae se ferunt: *plusquamperfectum* quidem, si de praeteritis sit sermo, *imperfectum* autem, si de praesentibus aut futuris. (Ov. Trist. 1. 1. 57). *Di FACERENT possem nunc meus esse liber.* (¡Hiciesen los dioses que yo pudiese ser ahora mi libro!). (Cic. Att. 2. 19). *UTINAM ADESSES!* (¡Ojalá estuvieses aquí!). (Cic. Fam. 5. 17). *Illud UTINAM NE vere SCRIBEREM.* (Luc. Phars. 2. 306). *O UTINAM coelique deis Erebique LICERET.* (Ov. Met. 9. 489). *Omnia di FACERENT essent communia nobis.* (Cic. Att. 8. 11). *UTINAM tui consilii certior FACTUS ESSEM.* (Ter. Phor. 1. 3. 157). *Quod UTINAM NE in mentem INCIDISSET.*

N. B. 1.º Dicemus ergo *velim, notim, malim*, quum illa quae exoptamus, speramus fore ut eveniant; at si dicas *vellem, nollem, mallem*, videberis desperare.

Velim taceas = Deseo que calles (y lo espero).

Velim tacueris = Deseo que hayas callado (y lo espero).

Vellem taceres = Quisiera que callases (mas no lo espero).

Vellem tacuisses = Quisiera que hubieses callado (mas no lo espero).

(Cic. Att. 2. 1). *NOLIM ita existimes, me mei praesidii causa cum illo esse conjunctum.* (id. Att. 2. 22). *Quam VELLEM Romae mansisses!*

N. B. 2.º Utimur optativo augurando et imprecando. (Cic. Fam. 7. 23). *NE VIVAM, si concedo.* (id. Fam. 15. 9). *PEREAM, nisi sollicitus sum.* (id. Att. 5. 15). *Ita VIVAM, ut maximos sumptus facio.* (Por mi vida que...).

§ II. SUBJUNCTIVUS DUBITATIVUS [48-55]

373. Adhibetur interrogando, quum dubium cunctationemve exprimimus.

1.º In *praesenti* dubium refertur ad actionem praesentem vel futuram. (Ter. Adolph. 5. 2. 288). *Quid ego nunc AGAM?* (¿Qué hago ahora?). (Cic. Rosc. 11). *Quid primum QUERAR?* (¿De qué me quejaré primero?). (Ter. Adolph. 6. 2. 793). *Hei mihi quid FACIAM? quid AGAM? quid CLAMEM aut QUERAR?* (Virg. Aen. 3. 39). *ELOQUAR an SILEAM?* (Cic. de Or. 3. 1). *Ego te consulem PUTEM, quum tu me non putes senatorem?* (¿Que crea yo que tú eres cónsul...? ¿he de creer yo...?).

2.º In *perfecto* ad futuram, vel ad praeteritam quidem, quam tamen vix possis adduci ut evenisse credas. (Hor. Od. 1. 6). *Quis Martem tunica tectum adamantina digne SCRIPSERIT?* (¿Quién podrá escribir dignamente...?) (Virg. Aen. 2. 581). *OCCIDERIT ferro Priamus? Troja ARSERIT igni?* (¿Es posible que haya muerto á hierro Príamo...?).

3.º In *imperfecto* ad praeteritam. (Cic. Rab. 8). *Tu denique, Labiene, quid FACERES tali in re ac tempore?* (¿Qué hubieras hecho...?).

N. B. 1.º Huc pertinent oratoriae dicendi formae, *Quid dicam? Quid commemorem? Quid loquar? Quid plura?....*

N. B. 2.º Ad urgendam interrogationem, additur *ne, an, ut*. (Cic. Cat. 1. 9). *Te ut ulla res frangat? Tu ut umquam te corrigas?* (Ter. And. 5. 4. 944). *TUNE impune hoc facias?*

N. B. 3.º Etiam praesens et perfectum infinitum pro dubitativo usurpantur. (Cic. Fam. 16. 1). *Me miserum! te in tantas aerumnas propter me INCIDISSE! Tulliolamque nostram, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos PERCIPERE luctus!*

§ III. SUBJUNCTIVUS POTENTIALIS [48-55]

374. *Potentialem* hunc modum nominamus, quod potentiam sive facultatem praecipue adsignificat: solet enim verbo *possum* explicari.

1.º *Praesens* et *perfectum* rem modo praesentem modo futuram significant. (Quint. 1. 3). *FRANGAS citius quam CORRIGAS*. (Podrás romperlo, mas no enderezarlo). (Cic. N. D. 2. 53). *QUAERAT quispiam*. (Podrá preguntar alguno). (Cic. Amic. 15). *Itaque VIDEAS rebus injustis justos maxime dolere*. (Verás que los justos se afligen mucho por las injusticias). (Virg. Aen. 4. 24). *Sed mihi vel tellus OPTEM prius ipsa dehiscat*. (Antes deseo que se me abra la tierra). (Cic. de Or. 1. 59). *Nemo SUASERIT studiosis dicendi adolescentibus, in gestu discendo histrionum more elaborare*. (Nadie se atreverá á aconsejar á los jovencitos aficionados á declamar, que en el gesto se esfuercen en imitar á los comediantes). (Cic. Brut. 13). *Ista vero, inquit, quam necessaria fuerint, non facile DIXERIM; jucunda certe mihi fuerunt*. (No podré decir fácilmente...).

2.º *Imperfecto* ostendimus non esse factam rem, quae potuisset facta esse. (Cic. Fin. 2. 17). *Poterat Sextilius impune negare; quis enim RE-DARGUERET?* (Podía Sextilio negarlo impunemente; pues ¿quién pudiera contradecirle?). (Sall. Cat. 64). *Sed confecto praelio, tum vero CERNERES, quanta audacia, quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinae*. (Pero acabada la batalla, entonces vieras cuánta audacia y esfuerzo había tenido el ejército de Catilina).

N. B. 1.º Prima persona *perfecti* potentialis modi modeste significamus, quid de re aliqua judicemus. (Cic. de Or. 3. 41). *Syrtim patrimonii, scopulum libentius DIXERIM*. (Mejor se diría á mi juicio...). (id. Or. 47). *Pomeridianas quadrigas, quam postmeridianas, libentius DIXERIM*. (id. ib.). *Nec vero REPREHENDERIM*. (Con todo no me atrevería á reprehenderlo). (id. Tusc. 1. 47). *Ego enim ipse cum eodem ipso non invitus ERRAVERIM*. (id. Leg. 1. 4).

Ego vero libenter AUDIERIM. (id. Brut. 6). *Hoc vero sine ulla dubitatione CONFIRMAVERIM*. (id. ib. 47). *Refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc INVENERIM et LEGERIM, et verbis et rebus illustribus*. (De las que hasta ahora he podido encontrar y leer...). (id. Tusc. 5. 49). *Praecidi caput jussit M. Antonii, omnium eloquentissimi, quos ego AUDIERIM*.

N. B. 2.º Praemunitiones illae: *ut ita dicam, ut sic dicam*, huc etiam spectant, quae et praeterito efferuntur: *ut ita dixerim, ut sic dixerim*. Itemque loquutiones illae, quibus veniam pacemque praefatur: *dixisse liceat, proce tua dixerim*.

N. B. 3.º Ad indicandam possibilitatem rei generali modo, utuntur latini secunda persona singulari praesentis vel imperfecti potentialis: v. gr. *Aequabilitatem conservare non POSSIS, si aliorum naturam imitans, OMITTAS tuam*. (No se puede conservar...). (Ov. Met. 162). *SCIRES e sanguine natam*. (Echábase de ver que...).

N. B. 4.º Hunc modum fore tantum usurpabis in modesta affirmatione vel cum subjecto indefinito.

375. Potentialis tamen loquutio indicativo saepe efferitur cum verbis quae rem *decere*, fieri *posse* aut *debere* significant. Ejusmodi sunt *decet, convenit, oportet, possum, debeo*, etc., conjugatio periphrastica et verbum sum additum nominibus *opus, aequum, necesse, satis* vel *salius*, etc. (Cf. n. 397. γ. N. B. 1.º). (Cic. Sen. 16). *Possum persequi nulla oblectamenta rerum rusticarum, sed ea ipsa quae dixi, fuisse sentio longiora*. (Pudiera ir recorriendo...). (id. Fam. 14. 16). *Volumnia DEBUI in te officiosior esse quam fuit, et id ipsum quod fecit, POTUIT diligentius facere et cautius*. (Volumnia debiera haber sido.... pudiera haberlo hecho...). (id. Cat. 1. 1). *Ad mortem te, Catilina, duci jussu consulis jam pridem OPORTEBAT*. (Hubiera sido necesario...). (id. Att. 2. 1). *FUIT tamen retinendi ordinis causa FACIENDA jactura*. (Se debiera haber sufrido aquella pérdida...). (id. Fam. 1. 9). *ERAT INFINITUM bene de me meritos omnes nominare*. (Sería nunca acabar...).

§ IV. SUBJUNCTIVUS PERMISSIVUS [55-62]

376. *Permissivus*, sive *concessivus* modus permissionem sive concessionem adsignificat, unde et nomen invenit. Quem quidem modum dupliciter usurpatum invenias: aliquando enim significamus nos alicujus rei curam penitus abjicere, eamque aliorum arbitrio judicioque committere: v. gr. (Cic. Amic. 3). *Quam id recte faciam, VIDERINT sapientes*. (Allá se lo vean los sabios); saepius vero difficultatem concedimus vel simpliciter, vel ut argumentum inde nobis deducamus, ut in sequentibus exemplis. Affirmationi solet adjungi *sane*, negationi vero *ne*.

377. 1.º *Praesens* significat rem praesentem vel futuram, quam posse fieri existimamus. (Cic. Acad. 2. 32). *Haec si vobis non probamus, SINT falsa sane, invidiosa certe non sunt*. (Sea falso en buena hora, al menos odioso no lo es). (Id. Sen. 11). *Ne SINT in senectute vires; ne postulantur*

quidem vires a senectute. (Concedido que no tienen fuerzas los viejos: pero nadie les exige que las tengan). (Cic. Verr. 2. 1. 5). *CONFRINGAT iste SANE vi sua consilia senatoria, quaestiones omnium PERRUMPAT, EVOLET ex vestra severitate.*

2.º *Perfectum* indicat rem praeteritam vel futuram possibilem, vel quae revera evenit. (Cic. Verr. 2. 1. 14). *Malus civis Cn. Carbo fuit: FUERIT aliis; tibi quando esse coepit?* (Pase que lo fuera para otros; mas para ti ¿cuándo lo fué?). (Liv. 31. 7). *Ne AEQUAVERITIS Hannibali Philippum: Pyrrho certe aequabitur.* (No igualéis, si os place, á Filipo con Anibal: al menos lo igualaréis con Pirro).

3.º *Imperfectum et plusquamperfectum* res concedunt praesentes vel praeteritas, quae tamen non sunt vel non fuerunt. (Cic. Off. 3. 19). *DARES hanc vim M. Crasso; in foro, mihi crede, saltaret.* (Prueba de dar este poder á M. Craso; y verás como se pone á saltar en el foro). (Virg. Aen. 4. 600). *Verum anceps pugnae fuerat fortuna: FUISSET: quem timui moritura?* (Fuéralo: ¿á quién había de temer estando para morir?).

CAPUT XIII

QUAE VERBA CUM QUIBUS MODIS COPULENTUR.

378. N. B. Multa sunt verba quibus membrum orationis subjicitur, quod nominativi vel accusativi locum supplet (1). Quae propositiones hispane quidem nulla interjecta particula nonnumquam copulantur, saepissime ope conjunctionis *que*; latine vero ipsas tripliciter potissimum interpretamur: 1.º infinito; 2.º subjunctivo cum particulis *ut, ne, quominus, quin*; 3.º indicativo cum *quod*.

ARTICULUS I. VERBA CUM INFINITO

§ I. QUAE VERBA POSTULENT INFINITUM

379. Interdum loco nominativi membrum orationis infinitae habent [223]:

1.º Verba impersonalia *licet, libet, oportet, decet, placet, displicet, apparet, fugit, praeterit, fallit, latet, poentet, pudet, taedet*, etc. (Cic. Phil. 13. 6). *LICET nemini contra patriam exercitum DUCERE.* (Id. Att. 7. 18). *De Dionysio FUGIT me ad te antea SCRIBERE.* (Id. Fam. 15. 65). *Non me PRAETERIT, nos eam rem Ephesi EXPERTOS ESSE.* (Id. Orat. 67). *Quem,*

(1) Si propositio haec quae alteri subjicitur, gerit vices nominativi (vel subjecti), vocari solet *subjectiva*; *objectiva* vero, si est complementum (vel objectum) principis verbi.

quaeso, nostrum FEFELLIT, ita vos ESSE FACTUROS? (Id. Phil. 2. 34). *Non dissimulat, Patres Conscripti, APPARET ESSE COMMOTUM, sudat, pallet.*

2.º Verba passiva *videtur, dicitur, fertur, traditur*, etc. (Cic. Tusc. 5. 5). *Non mihi VIDETUR ad beate vivendum satis POSSE virtutem.* (Id. Amic. 15). *Tarquinius DIXISSE FERTUR.* (Vid. n. 381. N. B. 7.º).

N. B. Cum verbo *videor* saepe infinitus desideratur. (Cic. Att. 12. 28). *Velim aliquando, quum erit tuum commodum, Lentulum puerum visas, eique de mancipiis QUAE tibi VIDEBITUR attribuas* (deest attribuenda esse). (id. ib. 30). *Pueros attribue ei QUOT ET QUOS VIDEBITUR* (deest attribuendos esse). (Caes. B. G. 4. 8). *Ad haec Caesar QUAE VISUM EST respondit.* (Á esto contestó César lo que le pareció).

3.º Substantiva et adjectiva adjuncta verbo *sum*: v. g. *opus est, necesse est, scelus est*, etc. (Cic. Fam. 16. 14). *Nunc OPUS EST te animo VALERE, ut corpore possis* (Sen. Vit. 1. 15). *Deo SERVIRE LIBERTAS EST.* (Cic. Att. 13. 28). *Quam enim turpis est assentatio, quum VIVERE ipsum TURPE SIT nobis.* (Hor. Od. 3. 2. 13). *DULCE et DECORUM EST pro patria MORI.* (Cic. Att. 8. 2). *(Patria) pro qua et in qua MORI PRAECLARUM EST.* [350] (Cf. n. 387. N. B. 1.º).

380. Infinitum verbum post se postulant pro accusativo cum eodem fere subjecto:

1.º Verba servilia.

Soleo (*soler*). (Cic. Att. 1. 18). Sextus nummos vobis dividere solebat. *Coepi* (*comenzar*). (Cic. Att. 1. 4). Si quando abundare coepero. *Debeo* (*deber*). (Cic. Or. 21). Magni iudicii esse debet orator ille. *Desino* (*dejar de*). (Cic. Fam. 2. 9). Non desinam tua decreta defendere. *Incipio* (*empezar á*). (Cic. Tusc. 1. 43). Incipere mortem optare. *Possum* (*poder*). (C. c. Phil. 2. 10). Quantum facere enitique potui. *Queo* (*poder*). (Cic. Fam. 14. 4). Non queo reliqua scribere. *Nequeo* (*no poder*). (Cic. Som. Scip. 5). Solem adversum intueri nequitis.

2.º Verba incipiendi.

Aggredior (*comenzar á*). (Sall. Jug. 9). Jugurtiam beneficiis vincere aggressus est. *Exordior* (*comenzar á*). (Cic. Div. 2. 48). Tum exorsus sum dicere. *Ingridior* (*empezar á*). (Cic. Acad. 1. 1). Sum ingressus eas res mandare monumentis. *Instituo pro incipio*. (Cic. Fam. 7. 1). Institui Topica conscribere. *Ordior* (*empezar á*). (Cic. Brut. 6). De eloquentia disputare ordimur.

3.º Verba perseverandi.

Consuesco (*acostumbrar*). (Cic. de Or. 1. 61). Demosthenes multos versus pronuntiare consuescebat. *Pergo pro persevero* (*perseverar*). (Cic. de Or. 2. 71). Conficere pergas. *Persevero* (*perseverar en*). (Caes. B. C. 2. 14). Fugere perseveravit. *Persto* (*persistir en*). (Cic. Fin. 2. 33). Si persistiteris ea referre. *Assuetus* (*acostumbrado á*). (Virg. Aen. 3. 514). Assuetus muros defendere bello. *Consuetus* (*acostumbrado á*). (Cic. Tusc. 2. 21). Consuetus in armis aetatem agere. *Insuetus* (*no acostumbrado á*). (Liv. 31. 48). Insuetus vera audire.

4.º Verba desinendi.

Absisto (*desistir de*). (Virg. Aen. 6. 399). Absiste moveri. *Cesso pro desino*. (Cic. Att. 11. 14). Ille non cessat de nobis detrahere. *Fugio* (poet.) (*dejar de*). (Hor. Od. 1. 9. 43). Quid sit futurum eras fuge quaerere. *Mitto* (poet.) (*cesar de*). (Ov. Met. 3. 614). Pro nobis mitte precari.